



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

42. Quidem Sacerdos in peccato mortali existens baptizavit infantem in casu necessitatis, quæritur, an peccaverit mortaliter? Et an laici baptizantes in peccato mortali peccent mortaliter? Ex part. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



Sacramenta, satis probabilem esse. Quia, quamvis non possit Baptismus multiplicari per iterationem; non est tamen contra Christi institutionem, ut si in aliquo casu rarissimo plures simul ponant omnia ad valorem sacramenti requisita, sacramentum multiplicetur, cum ratio fundata in principiis fieri id suadet: unde, cum dicitur, unicum in uno esse Baptismum ex Christi institutione, si per hoc intelligatur, quod Christus noluerit ullo unquam casu licet multiplicari, verum est; similiter verum est, quod secundum communem modum procedendi, non multiplicetur: idque ex Christi institutione; quia moraliter non contingit, plures eodem modo completere omnia ad substantiam Baptismi necessaria: si tamen intelligatur, quod ita repugnet illi institutioni, ut etiam in casu rarissimo non ponatur sepius Sacramentum, quamvis omnia requisita multiplicentur, videtur negandum.

8. Nec obstat dicere, si plures eandem hostiam consecrent, idem conficitur sacramentum: ergo & in presenti casu. Respondeo negando consequentiam: quia Baptismus non debet comparari cum Sacramento Eucharistiae, quod est effectus consecrationis; sed cum ipsa consecratione, quae in dicto casu multiplicatur.

9. Item, non valet dicere, Ex pluribus illis actionibus exurgit unicum signum ergo & unicum Sacramentum. Ita Valq. disp. 148. c. 2. §. Ratio igitur huius. Respondeo negando antecedens: quamvis enim sint signa unius gratiae, non inde efficitur non esse plura, cum materia ab uno adhibita, & forma prolata, nullam habeant subordinationem respectu alterius materiae, & formae: & non repugnet in uno eodem plura esse ejusdem rei signa. Et ideo ex his omnibus, ut dixi, puto utramque sententiam probabilem esse; seu potius, ut optime observat Uvigers in 3. p. q. 67. art. 6. n. 17. & Granada contr. 4. tr. 2. disp. 5. n. 3. utramque sententiam conciliari posse: si enim metaphysicè loquamur, rationes posterioris opinionis omnino, nisi fallor, persuadent, in praedicto casu esse plures Baptismos, seu plura Sacramenta. Moraliter verò dici possunt unum: quia simul concurrunt in eodem subjecto, ad eundem finem ordinantur, nec magis sanctificant, quam si unicus esset Baptismus.

10. Unde, ut verum fatear, puto, Nugnum de Sacram. tom. 1. q. 67. art. 6. diff. c. 2. excessisse, asserendo, esse improbableem in casu supra dicto docere, esse duo baptismata: nam hanc opinionem, praeter rationes supra adductas in sui favore, sustinent viri doctissimi, ut Hurtad. de Sacram. disp. 2. diff. 5. qui citat Gabrielem, Coninch, & Cajet. Imò Joannes Praepositus in 3. p. q. 67. art. 6. dub. 1. n. 9. dicit, esse probabilem. Videat modò Nugnus, si illam vocare poterit improbableem.

RESOL. XLII.

Quidam Sacerdos in peccato mortali existens baptizavit infantem in casu necessitatis, quaeritur, an peccaverit mortaliter?

Et an laici baptizantes in peccato mortali peccent mortaliter? Ex p. 3. tract. 4. Resol. 10.

§. 2. **A**firmativam sententiam docent Layman in Theol. mor. lib. 3. tr. 1. c. 5. n. 8. Valq. in 3. p. 10. 3. disp. 136. c. 3. Conin. de Sacram. q. 64. art. 6. dub. 4. n. 36. & alij. Et ratio est, quia tunc ille exercet hanc sacramenti ministrationem ex officio ratione suae ordinationis. Haec opinio est probabilis. Tom. I.

2. Sed mihi contraria sententia etiam probabilis videtur, quam tuentur Joann. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de Sacram. in genere, q. 4. dub. 3. concl. 1. Fernand. de Hered. dif. de Sacram. in genere, p. 10. dub. 3. n. 4. Nugn. in 3. p. q. 64. art. 6. Ledesim. in summ. c. 6. de Sacram. in genere, concl. 8. Sylvest. vers. Baptismus 3. n. 5. Cajet. in 3. p. q. 64. art. 6. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 16. sect. 4. & Hentiq. lib. 1. c. 29. n. 4. ubi sic asserit: Sacerdos peccator in necessitate baptizans sine solemnitate non peccat; quia non agit ut minister ex officio, sed perinde ac laicus; etiam si advertat suum peccati statum, aut advertere debuisset. Ita ille, & novissimè docet hanc sententiam Sylv. in 3. p. q. 64. art. 6. quaeritur 1. concl. 2. unde patet responso ad argumentum contrariae sententiae; nam Sacerdos in tali casu baptizans, id non agit ut minister ex officio, sed ut necessitati patientis subveniens; neque exercet ullum actum, aut ordinis spiritualis alicujus sacrae potestatis, sed eum, qui omnibus omnino hominibus divina institutione est permixtus. Simile aliquid est in humanis, ubi nullus, aut certe parvus ornatus requiritur in eo, qui Regi sublevis in casu necessitatis urgentis, quamvis magnus in eo requiri soleat numerus, qui ad ministerium specialiter est commissus. Ex his apparet, non esse amplectendam sententiam Valq. in 3. p. tom. 3. disp. 136. c. 3. n. 30. ubi asserit, etiam laicos baptizantes in casu necessitatis cum peccato mortali, peccare mortaliter. Sed si hoc esset verum, va. va. obstetricibus, & aliis laicis in tali casu adstantibus.

post initium, a vers. Imò ego, & in tom. 3. tr. 1. ex Resol. 8. §. Sed plus.

\* Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis ejus aano.

RESOL. XLIII.

An non solum Sacerdos, sed etiam laici baptizantes in peccato mortali infantem moribundum, peccent mortaliter?

Et an Sacerdos, & laici in dicto casu peccent saltem venialiter? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 24.

§. 1. **P**eccare mortaliter docet ex Valq. Hurtad. de Sacram. in genere, disp. 4. diff. 9. Meratius tom. 3. tr. de Sacram. in gener. disp. 8. sect. 2. Ochagav. de Sacram. in genere q. 19. n. 6. Durand. in 4. dist. 5. q. 6. Gabriel. q. unic. art. 3. dub. 2. Adrian. in 4. q. 3. de de Baptismo, §. ad rationem, qui est in fine q. ver. si obijciatur. Kellisonius in 3. p. tom. 2. q. 64. art. 6. dub. 2. & alij, quia quicumque validè efficiens Sacramentum, quamvis laicus, & in extrema necessitate, & Minister à Christo deputatus, & institutus ad id, & est contra reverentiam sacramenti ipsum efficit à Ministro instituto ad id in statu peccati mortalis, quod majorem vim habet in Sacerdote peccatore efficiente sacramentum, quamvis in extrema necessitate, & quamvis non solemniter, quia etiam efficitur à Ministro non solum ad id instituto, sed etiam ad id consecrato.

Sup. hoc in Ref. praeterita, & cursum, & recitantes supra principio, §. ult. Ref. 39. & in Ref. 11. §. 2. post medium, vers. Nota verò, & infra in tr. 2. Ref. 5. Ex his, cursum ad lin. 5. & in tom. 3. tr. 1. Resol. 8. §. Tertio notandum, & seqq.

2. Sed licet haec opinio sit probabilis, contrariae tanquam probabiliori adhereo; quam ex Cajetano, Soto, Valentia, Henriquez, Suarez & Sayro, tuetur novissimè Jacobus Granada de Sacrament. in 3. p. contr. 3. tr. 5. disp. 5. n. 6. cui adde Joannem Praepositum in 3. p. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 36. Marchantium in resol. Pastor. de Sacram. tract. 1. c. 3. q. 1. Mercer. de Sacram. in 3. part. q. 64. art. 6. dub. 1. Zannerum tom. 4. disp. 3. q. 4. dub. 2. n. 63. & 64. & Petram de Cabrera de Sacrament. quest. 64. artic. 6. disp. 1. §. 4. n. 17. ubi sic ait. Minister necessitatis, sive sit laicus, sive Sacerdos, qui in mortali administrat Sacramentum, etiam videns, &

INTON  
Opera  
Tom. 10 II  
E III

